

0020 A 231
6

Just:
III. C. 1.



ac

25

DE

MONTANISMO, ET ECCLESIAE
ET REIPUBLICAE OLIM PESTE,

PAUCA DISSERIT ET SIMUL

VIRO PRÆNOBILISSIMO NEC NON
DOCTISSIMO,


AUGUSTINO GABRIELI
GEHLIO,

DE

IMPETRATO RECTORIS APUD STADENSES MUNERE

OFFICIOSE GRATULATUR.

J. F. E. S.



CELLIS,

TYPIS JOANN. GEORG. PASSIN. MDCCXLIII.



DE
MONTANISMO, ET ECCLESIAE
ET REPUBLICAE OLIMPTICAE
PAUCA DISSERTAT ET SIMUL
VIRO PRAENOBILISSIMO NEC NON
DOCTISSIMO
AUGUSTINO GABRIELI



DE
IMPERATO RACORIS APUD STUNDENSIS AUMERE
OFFICIOS GRATIARUM

1771



OPUS
THE JOHANNES GABRIEL



Summo rerum moderatore sic iubente,
Te, Vir clarissime, jam accingis ad sus-
cipiendum Rectoris apud Stadenfes munus, testarum
suffragiishaud ita pridem Tibi oblatum, Gaudeo quidem
de tanto præmio, Tuis in rem literariam meritis digno,
Eandem vero ob causam non possum, quin prodam do-
lorem, quem de Tuo a nobis abitu sentio. Facta
tamen infecta cum reddi nequeant, paginas hasce im-
primendas Tibique tradendas curavi, ut publicum mei
in Te studii ac pietatis pignus habeas. Flumen quidem
ingenii dicendique copiam a me expectare non licet,
Educativis enim in rhetorum campis id videtur relinquen-
dum, De

Montanismo autem & ecclesiæ, & reipublicæ
olim peste
quæ paucis differam, æqui bonique consulas, rogo.

A 2

Cogni-

Cognitum Tibi, V. Cl. atque perspectum est, sub finem seculi secundi post instauratam orbis salutem Montanum ex Tatiani schola prodiisse atque in arenam descendisse. Præceptorem suum, ut solenne est schismaticis, cum dogmatum absurditate vincere studeret, condidit novam sectam. Vitæ exordium Montanus Pepuzæ, Phrygiæ oppido, debuit. Hinc satellites atque sectatores ipsius modo Montanistarum, Modo Pepuzianorum, modo Cataphrygum nomine sunt appellati. Duxit vaferrimus iste homo duas secum mulieres ejusdem farinae, Priscillam & Maximillam. Quæ ingeniosæ corruptrices maritos deseruerunt maximamque sibi vindicarunt auctoritatem. Qui castra Montani sequebantur πνευματικοί, reliqui vero Christiani ψυχικοί nominabantur. Πνευματικῶν duæ rursus oriebantur partes. Altera Proclo, altera autem Æschine duce usæ est. Tempora, fata atque vicissitudines ecclesiæ ad tres periodos revocavit Montanus; quarum prima Deum patrem, altera filium, tertia denique Spiritum S., Filio id Joh. XV. 26. XVI. 7. promittente, regimen ecclesiæ suscepisse somniavit. Sibi, ipse aliis persuadere conatus est, Spiritum S. uberrima dona viresque animi supernaturalis dedisse. (a) Ad rem meam non facit, omnia Mon-

(a) Originem, progressum & dogmata hujus sectæ fusius enarrant Balthasar Bebelius Antiqu. Eccl. Tom. I. Sec. II. Art. VI. p. 392. seqq. Ch. Eb. Weismannus Introd. in memorab. eccl. N. T. Sec. II. p. 138. seqq.

Montani dogmata figillatim enarrare. Cardinalia eorum in hance redeunt summam.

1.) dari *ἐκτασι*, verbo Dei scripto longe anteponendam. (b)

2.) Quemlibet *πνευμαίων* ad actiones suscipiendas immediate a Spiritu S. impelli.

3.) Omnes proinde scientias humanas inutiles, imo vero noxias esse.

Montanismus inde mihi dicitur modus Deum colendi ad Montani opiniones compositus.

Pestis autem nomine intelligo malum quoddam, auspiciatam rei conditionem deteriorem reddens.

Hiscæ vocum notionibus præmissis, mearum nunc est partium probare, ex Montanismo pestiferum malum æque ad ecclesiam, ac rem publicam redundasse.

Ad ecclesiam quod attinet, in memoriam est revocandum, secundo p. C. N. seculo dona spiritus S. extraordinaria nisi omni, maxima saltem ex parte jam cessasse. Deus per remedia hodiernum ad salutem conducentia plerumque agebat, verbum nimirum scriptum & sacramenta. Plantata enim fere ecclesia, sacer codex unica constituebatur norma & fidei, & morum. (c) In id igitur incubuerunt omnes purioris doctrinæ cultores.

A 3

res.

(b) vid. Joh. Pappi Epitom. H. E. p. 236.

(c) vid. Weismanni dissert. de sufficientia verbi Dei scripti in rebus ad salutem necessariis.



res, ut modus Deum colendi verbo scripto ex asse responderet. Hac basi ac fulcro freti certum habuerunt exploratumque, se cultum peragere rationi haud repugnantem divinoque Numini acceptum. (d) Indefessi sacras literas perferutati sunt, Salvatore ipso id iubente, (e) viresque animi senserunt, quas Spiritus S. semper praesens sic scrutantibus largitur. Statutis hac ratione certis ad salutem perveniendi remediis, stabat quoque vera religio & hac stante, fideles certa spe lactabantur, fore, ut salute perenni aliquando sint fruituri. Quid harum rerum facie praestantius? quid ad animos in fide firmandos validius? quid denique ad persecutiones, ut cum Lactantio loquar, fortiter ferendas efficacius scriptura s. erat? Nihil plane.

Montanistæ autem ecclasi sua tantopere confisi sunt, ut illam divino verbo praeferrent. Legerunt id quidem & commendarunt tanquam librum res facti egregie complectentem, salutares vero voluntatis divinae revelationes ad praconceptas suas opiniones pessime explicarunt. Et quid mirum, hoc ita evenisse? Adsunt testes locupletes, uno ore profitentes, mulieres quoque apud Pepuzianos sacerdotum muneri fuisse praefectas (f.) Recentis hi Prophetæ & Prophetissæ novi praecipue fæ-

de-

(d.) vocarunt veteres ejusmodi cultum Paulo autore

λογικὴν λατρείαν.

(e.) Joh. V. 39.

(f.) Bebelius l. c. p. 394.

deris libris eum in finem usi sunt, ut, tortis retortisque dictis Christi & Apostolorum, merces suas plebi obtruderent. Post visiones, quas jactitarunt, alter has, altera illas venditavit revelationes. Innumera somnia, innumera quoque facta sunt principia cognoscendi. Detraxerunt hac ratione de honore & autoritate verbi divini, novas, easque falsas revelationes veteribus, iisque genuinis anteponendo. Quid multa? Deseruerunt Cataphryges sua sponte certissimam fidei normam aliamque, nusquam tamen promissam, frustra expectarunt. Misera itaque hæc cohors modo huc, modo illuc a lumine suo interno rapta in tenebris errorum satis diu est vagata. Hoc qui tandem agnovere, ab agmine se rursus sejunxerunt, quin imo nec pauci, ferventibus persecutionibus, ad gentium partes se contulerunt. Fluctuans enim horum animus in tanta temporum injuria nec fide, nec solatio certo se potuit munire. Habuerunt quidem catalogum quoque martyrum. Equis autem ex eo veritatem & divinam Montanistæ originem colligere auderet? Plerique enim cum in persecutionibus fugere nollent, rectius ἀνίσχυτοι, quam μάστιγες sunt vocandi. Aliæ præterea adsunt rationes, unde martyrologium eorum sit adauctum, quarum jam mentionem facere haud juvabit. (g.)

Verum enim vero cum Montanistæ a purioris

A 4

do-

(g.) pueros e. g. acubus compunxerunt sanguinemque exceperunt, quo in sacra cœna usi sunt. Quod si perirent hi pueri, pro martyribus sunt habiti. l. c. p. 394.

doctrinæ cultoribus se segregarent, principiumque res divinas cognoscendi, dijudicandi firmandique repudiarent, maximum profecto intulerunt ecclesiæ damnum: Hinc enim illæ lacrymæ, hinc discordiæ, hinc jurgia enata sunt tunc temporis maxime calamitosa, Gentes nimirum causæ Christianorum male semper cupientes ab hisce quoque diffidiis occasionem conviciandi ceperunt. A particulari ad universale concludentes, dogmata, vel potius somnia unius sectæ omni Christi ecclesiæ adjudicarunt. Quantum hæc convicia ad persecutiones instituendas contulerint, neminem fugit, qui historia ecclesiastica vel leviter est imbutus. (h.) Rebus sic sese habentibus, omnis sermo redeat in hosce Sylogismos:

Quæcunque secta vera remedia, ad ecclesiæ salutem data, parvi duxit, illa pestis fuit ecclesiæ. Atqui Montanismus &c. E.

Si quoque Montanismus gentibus materiam Christi ecclesiæ maledicendi & rationes moventes ad eam persequendam suppeditavit, pestis ecclesiæ est vocandus, Atqui verum est prius E. e. p.

Idem de eodem est affirmandum, si spectes ad Rempublicam tam civilem, quam literariam.

Civilis

(h.) vid. S. R. Heumannii Disputat. de persecutione Christianorum Pliniana.

Civilis profecto republ. Christianorum hoc temporis tractu divitiis nondum affluxit. Caruit enim principibus Christianis, caruit commercio magni momenti, caruit denique beneficiis, & quæ vocantur, feudis. Dederunt quidem hoc jam seculo divitum nonnulli Christo nomen. Quorum vero cum pauci tantum fuerunt, reliquos tamen oportuit variis remediis ad vitam sustentandam uti. Labores igitur susceperunt divina quippe lege obstricti. Nec destiterunt a labore, licet ditiores pauperibus succurrerent opibus suis, oblationes more receptæ essent ærariumque quasi publicum adesset, ex quo egentibus datum est. Proditum hinc memoriæ est, permultos Christianorum Romanis domi militiæque inserviisse, (i) cum ipsi non haberent, unde viverent.

Montanistæ autem secus sentientes bona inter se habuerunt communia, omni fere labore neglecto. Rationem quærentibus responderunt, labores quotidianos mentem a visionibus divinis avocare & a Spiritu suo se nunquam ad commercium cum irregentis rapi. Deum præterea bestiarum curam gerentem, multo majorem fidelium esse gesturum. Visiones & revelationes expectantes expectarunt quoque vitæ sustentationem, nullo interveniente labore. Sed non omnes pari fiducia gavisi sunt. Callidissimi Montanistarum exquisitis

B fima

(i) vid. Herm. Wirsius de legione fulminatrice. De ea autem licet non omnes Eruditorum consentiant concedunt tamen, in exercitu Marci Aurelii Antonini Christianos milites fuisse.

fima adminicula rei familiaris augendæ habuerunt. Studuerunt, ut divites ac fortunatiores utriusque, præsertim vero sequioris sexus ad suas partes ducerent, quarum deinceps bona astute expilarunt fraudes suas fucata obtegentes pietate. Nec frustra! Facile enim hoc negotio res suas mirifice adauxerunt ac habuerunt, ex quo & ipsi otiosi degere & alios ad Montani castra allicere poterunt; multitudinem enim nulla re citius, quam donis capi, quis est, qui ignoret?

Certo propterea certius est, Cataphryges inutilia plerumque terræ pondera exstitisse. Indulserunt voluptati, fictis suis jejuniis non obstantibus, (k) hæc autem via proxima est ad reipublicæ interitum. Piguit illos laboris, quo tamen cessante, cessat reipublicæ salus. Remedia igitur ad felicitatem externam conducentia cum rejecerit Montanismus, pestis fuit reipublicæ civilis, nec minus, id quod in sequentibus ostendendum, literariæ.

Ecclesia Christi tempore Montani jam per omnes terræ provincias fuit diffusa. Parentibus salus liberorum curæ cordique fuit. Omnem idcirco operam, studium, mentem denique omnem in eo fixerunt atque locarunt, ut hæc carissima matrimonii pignora fidei præcipue dogmatibus, deinde scientiis quoque & artibus imbuerentur: præterlapsa enim erant tempora, quibus

(k) Bebelius I, c, p. 402.

quibus ipse Spiritus S. homines docuerat, Parentes Christiani cum in finem passi interdum sunt, liberos suos obire profanorum doctorum auditoria, ut rationem excolerent. (l) Hoc autem cum sine periculo animarum fieri non posset, ipsi Christiani Sec. II. scholas condiderunt, quarum præstantissima & celeberrima fuit Alexandrina, (m) Necessitas hoc exegisse videtur. Verbo enim divino licet vis & efficacia insit, multa tamen complectitur, quibus per scientiam rerum profanarum major interdum lux affundi potest. (n) Paulum ipsum virum solide doctum, Timotheum vero & Titum genuinos disciplinæ ipsius filios fuisse, nemo inficias ibit. Tantum præterea abest, ut scientia humana intra justos limites se continens, Deo displiceat, ut auctor potius & suasor ejusdem existat; vt taceam, rempublicam scientiarum & artium expertem non posse florere. Jure

B 2

igitur

(l) vid, S. V. Dni. Heumanni Confp. Reipubl. liter pag. m. 75.

(m) Scholam hancce *ἐργαστήριον πάσης παιδείας* factam esse publicoque doctoris munere ibi functum fuisse Pantænum, Clementem, Origenem, Dionysium, Athenodorum, Didymum, Athanasium &c. ex Gregorio Nazian. & Eusebio refert. Quenstedius Antiqu. Bibl. & Eccles. Cap. IX n. 4. p. 819.

(n) Clemens Alexandr. I. Stromat. post. med. hac dere inquit: etsi scriptura s. ipsa sibi sufficit nec opis alienæ eget doctrina Servatoris, quippe quæ sit potentia & sapientia ipsius Dei: sitamen græcanica Philosophia accesserit, non quidem validiorem efficit veritatem, sed Sophisticos insultus reddit inefficaces & insidias omnes avertens genuina sepes & lorica est dominica vineæ.

igitur meritoque a Christianis bonæ literæ sunt receptæ & Alexandria quoque publice propositæ. Prodierunt certe ex hac aliisque Christianorum scholis viri, profanos Philosophos suis ipsorum armis oppugnantes, causam fidelium defendentes, & impudentia mendacia de religione Christiana sparsa refutantes. (o)

E contrario Montanistæ omnes scientias humanas inutiles & perniciosas prædicarunt. Per visiones enim suas satis se sapientes satisque validos contra hostium impetus factos esse dixerunt. Effectus naturæ pro effectibus gratiæ habentes, se ne errare quidem posse sunt opinati. Dogmata autem eorum cum vituperarentur, vicissim damnarunt ac reprobarunt bonas literas, quarum quippe cultu fraudes atque errores maxime sunt detecti & hodie adhuc deteguntur. Nolim itaque mirari, Tertullianum aliam penitus post lapsum suum induisse personam, Patronus hic antea causæ Christianæ nunquam fortasse a vera fide defecisset, nisi peculiari quodam odio atque invidia in Episcopum Celerumque romanum (p) accensus eademque, qua Montanus

(o) eum in finem e. g. Hieronymus catalogum script. eccles. confecit. ut ostenderet profanis Philosophis, Christianam ecclesiam non constatam esse ex hominibus insipientibus ac delirantibus.

(p) Magnam veri speciem habet, Tertullianum honoris studio ductum Episcopalem dignitatem anxie quasivisse, spe vero sua dejectum ad aliud extremum esse delatum, Ce-

nus, ambitione, impudentia & audacia impulsus fuisset. Ex hoc Tertulliani aliisque exemplis facile est perspectu, Montanum, qui ipse Presbyter fuit, eruditos quidem recepisse viros: Ut primum autem Montanistæ evaserunt, omnem eruditionem, externe saltem abnegare sunt coacti, habitu autem judicandi deficiente, judicii acrimonia, quam habuerunt, magnopere decrevit. Perdidit propterea Tertullianus post lapsum suum eruditionem, ecclesiæ antea perutilem. Perdidit respublica literaria per Montanismum viros, si non summe, mediocriter saltem doctos, apud plebem autem spectatissimos. Simpliciores proinde cum viderent, ecclesiæ doctores percelebres hancce sectam amplecti, dubii partim hæsitaverunt inter consilium idem faciendi, vel omittendi; partim vero ex vera ecclesia in Montani provinciam quoque exceßerunt, evaserunt, eruperunt. Id facientes respexerunt non omnes finem contemnendam. Alii enim pietati studentes sui similes apud Cataphryges invenisse crediderunt, nescii anguem sub herba latuisse, nescii lupos pelles ovinas induisse. Alii vero Priscillas & Maximillas quæsierunt & in Montanismo, mulieribus præsertim arridenti, deprenderunt. Alii alias ha-

B 3

bu-

leb. Weismannus ipse hoc non denegare videtur, Mavult tamen l. c. p. 138. ex harmonia ingenii vel cordis Montani cum Tertulliano rationem lapsus esse repetendam. Montanus vero cum, teste Bebelio l. c. p. 392. homo impudens & audax fuerit nec lenius de Tert. possumus judicare, siquidem ne Magistro quidem suo fidelis mansit, sed suos sectatores ipse sibi demum comparavit.

buerunt causas agmen illud per omnem fere Asiam sparsum adaugendi. In eo autem omnes ac singuli conuenerunt, Montanistam non decere scientiis humanis, præcipue vero Philosophiæ operam dare. (q) Parentes ut cantarunt, liberos quoque cantare oportuit. Qui cum a teneris de uisionibus parentum multa auduissent illasque attoniti quasi animadvertissent, præiudicia innatæ religionis in eorum animis tam altas radices egerunt, ut prætextati ab opinionibus suis vix unquam discesserint. Montani dogmatibus quidem instituti sunt, alias vero Scholas, quibus veræ revelationis & sanæ rationis præcepta proponebantur, plane non frequentarunt. Obiicientibus, Justinum Martyrem, Theophilum, Athenagoram, aliosque profanarum scientiarum cultores ecclesiæ haud parum profecisse, responderunt duræ frontis homines, humanas scientias nugas, (r) revelationes vero suas invictam esse sapientiam. Retinuerunt id circo liberos suos a scholis publicis & arrogantia quadam ducti, jus sibi vindicarunt eas Diaboli scholas vocandi aliosque alto supercilio præ se spernendi. Montanistarum inde opinio si prævaluisset, scientiæ fuissent deletæ bonæ literæ expulsæ, scholæ clausæ.

Idem voluit Sec. IV. hostis ille acerrimus nominis Christiani, Julianus Apostata. Animo enim secum constituens, Christi ecclesiam non vi, sed astutia subvertete, Scholas claudi iussit. Credidit nimirum, nullam

ex-

(q) vid. S. R. Dni. Walchii Einl. in die Philosophie, pag. 12. §. 17.

(r) Non quidem negandum est. plerosque eruditorum Platonem esse secutos, multosque Patrum nimia philosophandi libidine in gravissimos errores præcipites esse factos vid. S. R. Moshemius in Dissert. de turbata per recentes Platonicos ecclesia, Attamen Montanistæ abusum Philosophiæ animadvertentes, inepte omnem ejus usum rejecerunt. Et quod maxime mirandum, lumen internum, quod jactitarunt, ex Platonica Philosophia, insciis Montanistis, originem traxit. vid. *Er. Hochw. des Herrn Abt Mosheims Sitten- & Lehre der heiligen Schrift. Part. II. p. 67.*

expeditiorem viam evertendæ religionis nostræ esse, quam si inscitia & ignorantia impediret Galilæos, ut vocavit Christi cultores, quo minus ludibriis profanorum Philosophorum potuissent resistere. (s) Ardua autem cum hæc res esset viresque hominum longe superans, nihilo tamen secius Christiani scientiis curam tunc temporis impenderunt, quin imo Apollinaris junior rifit Juliani audaces conatus. (t) Colligere tamen inde licet, sublatis scientiis tolli quoque arma quasi externa ad ecclesiam defendendam maxime necessaria iisque sublatis tolli quoque salutem ecclesiæ.

Jam videre est, quantum damni Montanismus attulerit, vel si obtinuisset, afferre potuisset. Iisdem enim viis, quibus Julianus Apost. ecclesiæ nocuit, licet non eundem, quam ille, finem habuerit. Scientias caterum rejiciendo atque damnando barbariem in rempublicam literariam introduxit, vel, si mavis introducere voluit, Dignus proinde est, qui vituperetur &, ut paucis multa dicam, peccatis etiam reipublicæ literariæ vocetur.

Deletum quidem est nostra memoria sectæ hujus nomen, omnia vero temporis intervalla homines aluerunt, qui Mysticis Montanidogmatibus subscripserunt. (u) Nec a vero aberrare mihi videor affirmans, bonas literas hodie adhuc hostibus nondum esse destitutas. **Qui cum**

(s) Theodoretus hac dere lib. III. Histor. Cap. 7. *αὐτ.* interdixit Julianus A. pueros Galilæorum (ita enim Servatoris nostri cultores nuncupabat.) poëticam, rhetoricam vel philosophiam doceri. Nostris enim ipsorum pennis, inquit juxta proverbium, perecellimur. Siquidem nostrorum scriptorum præfidiis armati bellum contra nos suscipiunt.

(t) Tradidit nimirum Apollinaris jun. Juliano librum, quo ex solidis sanæ rationis principii idolorum cultum refutaret suasque rationes testimoniis profanorum Philosophorum muniverat, Imperatori vero librum hæc verbis, *ἀνεργων, ἔργων, καὶ ἐργων*, abjicienti Apollinaris fortiter respondit, *ἀνεργως, ἀλλ' ἐν ἐργως ἐι γὰρ ἔργως, ἐν ἐν καὶ ἐργως*, Vt ex Sozomeno refert Cl. M. Gotte, Fr. Gudius Comen. Hist. eccl. de artibus Juliani Apost. paganam superstitionem instaurandi.

(u) Omnes hic loci in censum veniunt Fanatici, qui tenaciter suis insistent opinionibus & Christi ecclesiam variis modis mirifice turbant, vid. Bentheims *Holländischen Kirch- und Schulen*; Staat præcipue verol. Cap. XIX. von den Mennonisten. Spanhemii Elenchum Contrö. p. 99. seqq. Heineccii *Prüfung der neuen Propheten* c. b. J. F. Meyer Disfert. de P. veteris ecclesiæ quorum tamen causam prohdolor! defenderunt Gotff. Arnold in seiner *Kirchen- und Reher. Historie*, alii que somniorum amatores.

cum animadvertant, quosdam eruditorum eruditione sua abufos esse & hodie forfan abuti, omnem scientiarum & imprimis Philofophiæ ufum e medio tolli cupiunt. Panditur, inquit, per eam via ad Atheifmum, Naturalifmum & nescio quos alios errores.

Reprobant igitur bonas literas damnantque imprimis fcho- las, quibus Philofophiæ præcepta traduntur. Alii cautius agere videntur, nonnullas quidem eruditionis partes laudibus efferentes, nonnullas vero vituperantes. Equis poteft opiniones varias va- riorum in omni vitæ genere hominum recensere? Acerrimi hi bo- narum literarum arbitri ipfi inter fe difsentiant nec poffunt con- sentire, cum alter has, alter illas vifiones habuiffe perhibeat. Qui- bus confidentes facramento quasi religionis fe invicem obftrinxerunt, scientiis humanis bellum inferre. Incredulitati hac ratione dum januam præcludere volunt, fuperftitioni aperiunt. Respubli- ca profecto fi horum iudicio regeretur, ut Mufæ hypocritæ evade- rent, aut fedibus fuis eijcerentur.

Dantur e contrario, quæ Dei gratia fingularis eft, permul- ti quoque Patroni, atque fautores bonarum, ut vocant, literarum, quorum præfidio, benevolentia & cura officinæ literariæ exftruuntur, confervantur, difcentibus aperiuntur, docentibus ornantur. U- bique fere locorum juvenus chriſtiana intra publicos & privatos parietes eo ufque perducitur, ut jucundum & vafum eruditionis campum animadvertere, ingredi & permeare poffit. Laude igitur fua non fraudandi funt Doctores quoque fcholafici eruditione fi- de atque folertiâ conspicui; profunt enim ecclefiæ, profunt reipubli- cæ, profunt denique fibimet ipfis, Amantur propterea & juſto interdum honore afficiuntur.

Te præfertim, Cl. GEHLI, refpicio de juſto amore & ho- nore ftudiorum verba faciens. Eruditio, fides atque prudentia Tua tantum Tibi peperit nomen, ut Patres Confc. reipublicæ Stadenfis al- tiorem honoris gradum ad Te contulerint. Celeberrimus nunc exi- ſtis Rector Gymnafii percelebris vivumque in Te deprehendis exemplum, diligentiam ac fidem certum fequi præmium. Gratulor Tibi ex animo de provincia hac Tibi demandata. Faxit Deus, ut la- bores Tibi lepide fub manibus fuccedant & ex Schola Tua, tan- quam ex hofpitiis liberalium artium prodeant ecclefiæ & reipubli- cæ aliquando ornamenta. Largiatur fupremum Numen Tibi Tuique uberrima manu quævis bona ad hanc æternamque falu- tem conducentia. Quod reliquum eft, Te, Amice in paucis di- lecte, etiam atque etiam rogo, benevolæ Tuæ voluntati me ha- beas commendatifimum. Tibi viciffim amicitiam & obser- vantiam fpondeo,

154071

AB: 154071


ULB Halle 3
003 902 811




82

1078
Vb 17





in
ne
ex
ne
eri
ar
er
e
RA
ni
ft
ate
us
un
D
ler
Te
ni
ad
ate
ME
is
es
op
pe
tib
am
tati
ep
ex
oto
ill
ner
EF



ac

25

DE
MONTANISMO, ET ECCLESIAE
ET REIPUBLICAE OLIM PESTE,
PAUCA DISSERIT ET SIMUL
VIRO PRÆNOBILISSIMO NEC NON
DOCTISSIMO,
AUGUSTINO GABRIELI
GEHLIO,

DE
IMPETRATO RECTORIS APUD STADENSES MUNERE
OFFICIOSE GRATULATUR.
J. F. E. S.



CELLIS,
TYPIS JOANN. GEORG. PASSIN. MDCCXLIII.

